PETRUS ANTONIUS GEORGIUS

AD METROPOLITANAM SEDEM UTINENSEM ASCENDENS

AB IPSA POESI


HONORIBUS CUMULATUR

HENDECASYLLABON ET CARMEN

MATHIÆ CAPELLARI

NUNC THEOLOGIÆ MORUM ANTEA ELOQUENTIÆ PROFESSORIS

IN SEMINARIO



UTINI

MDCCXCIII.

Apud Fratres Gallici)(*Superiorum Permissu* .

POESIS
PETRUM ANTONIUM GEORGIUM
POETAM INSIGNEM
TRIUMPHALI POMPA UTINUM DUCIT

HENDECASYLLABON

Heus surge, et cape jamdiu tacentem (*),
Et multo cape pulvere indecorum
Ineis Barbiton. Eſt nefas silere,
Qua die nitida Poesis ipsa
Suum Vatem agit emicante Curru
Cinctum tempora fulgida Corona,
Quam fecit manibus suis Poesis.
Ecce sidereo Throno sedentem,
Et pendentia Gratiis referta
Dulci carmina melle dulciora,
Queis nil ſuavius elegantiusve,
Queis solatiolum sibi et levamen,
Seposto Studio ſeveriore,

Affert

(*) Anno jam octavo præcepta Morum doceo, et cum carminibus nullam ferme per hoc tempus rationem habui.

Affert sollicitæ anxiæque menti.
Quid te lætius et tuis ocellis,
Cum tanti aspicias decus triumphi?
Funde quidquid habes venustioris...
Nondum somniculos inertiores
Nondum discutis? Eja quando surges,
Si tanta veniente luce dormis?

POESIS

ALUMNIS SUIS

PETRUM ANTONIUM GEORGIUM

AD IMITANDUM PROPONIT

CARMEN

PRodivi æthereo primæva Poetica fonte (*a*);
Numinis afflatus, divi ſum fœtus amoris,
Partus sum cordis, quod sacro exæstuat igne;
Cujus deliciæ sunt fulgida promere verba,
Congerere insignes species, glomerare figuras;
Nempe Venustati summæ ut pulcherrima reddat:
Impetus hinc animi, hinc fœcunda inventio fluxit,
Hinc sermonis opes, splendor, dimensio, rhythmus.

Me

(*a*) Clariſſimus Rollin *De la maniere d' enſeigner, et d' etudier les Belles Lettres par rapport a l' esprit et au coeur* Tom. 1. par. 2. lib. 2. cap. 1. art. 1. pro certo habet, hanc, quam describo, eſse Poesis originem.

Me vero ut genitrix peperit divina voluptas (*b*),
Gaudia sic semper mihi sunt ex indole Matris.
Dona Dei cecini, laudes, prodigia, grates
Exsolvi, dulcem versus dulcedine legem
Feci. Dum puero sunt danda ábsinthia, vasis
Ungitur ora favo, ut latices perpotet amaros,
Utque salutari deceptus fraude valescat.
Sic ego condivi leges graviora jubentes,
Suaviter a vitio, ad virtutem fortiter egi.
Talia perfeci cum Vatum Principe Mose;
Rebus in adversis invicti præmia Jobi
Descripsi; in Davide simul mea gratia certat
Cum doctrina, ibi sum juvenumque senumque
Magistra,
Quolibet humanam decurrant ordine vitam.
In Salomone mihi divini Spiritus ardor
Exussit cor, viscera, venas, ossa, medullas;
Numine tunc propiore Dei majorque videri,
Nec mortale sonans summi ad penetralia Cæli
Flammiferis ibam Seraphim facta æmula pennis.
Verum

(*b*) Rollinus ibidem Poeseos quasi parentem amore divino deflagrantem ac lætitia gestientem animum fuisse sic ostendit. *Il est aisé de reconnoitre tous ces caracteres de la poesie, si l'on remonte aux premiers tems où elle étoit pure et sans mélange; et si l'on examine les plus anciennes pieces que nous ayons en ce genre, tel qu'est le célébre Cantique de Moyse sur le passage de la mer rouge. Ce Prophète, aussi bien qu'Aaron, Marie, et les autres Israelites spirituels, découvrant dans ce grand évenement l'affranchissement de la tyrannie du démon que Jesus-Christ devoit procurer au peuple de Dieu .... se livroient aux transports de joie ... et firent éclater l'excès de leur joie par le chant et par la poesie... On remarque les memes caracteres dans le cantique de Débora, dans ceux d'Isaie, et dans les pseaumes de David... On doit conclure de tout ce qui vient d'etre dit, que le véritable usage de la poesie appartient à la religion, qui seule propose à l'homme son veritable bien, et qui ne le lui montre que dans Dieu. Aussi n'étoit-elle chez le peuple saint consacrée qu'à la religion. Elle ne s'occupoit qu'à chanter les louanges du Créateur, qu'à relever ses divins attributs, qu'à célebrer ses bienfaits: et l'éloge meme des grands hommes qu'elle faisoit quelquefois entrer dans ses cantiques, avoit toujours raport à Dieu ... Par l'inclination naturelle qu'on a d'orner tout ce que l'on aime, et que l'on veut rendre aimable aux autres, ils s'appliquerent à relever par les plus vives couleurs la beauté de la vertu, et à répandre tous les charmes et tous les agrémens possibles dans leurs maximes et dans leurs instructions, afin de les faire mieux gouter aux hommes*

Verum proh dolor! O qualis subversio rerum!
Eheu grex, neque enim Vates, immunde, pecusque,
Quo quo lascivi ruitis? Vesana voluptas,
Carnis fœdus amor nunc ergo carminis auctor?
Sic Artes pulchræ ac Genius sub melle venenum
Præbent, tartareis succendunt pectora tædis?
Illa superstitio, rupit quæ fræna pudoris,
Priscorum minuit tantisper crimina Vatum:
At nunc tam pura divina in luce Cupido (c)
Per vos, ingenti Juvenum comitante caterva,
Invehitur curru, præda gaudetque potitus.
Te super e Furiis torto sonet una flagello
Verberibusque secet liventia terga per Urbem,
Altera fumiferas tædas objectet in ora,
Tertia lethiferos plicet in tua membra Dracones.
Æger, inops, extorris sic agitatus oberres;
Pervia sit tibi nulla, tibi sed terra dehiscat,
Erumpat vapor ignivoma caligine densus,
Qui librosque tuos, teque, ac tua conquoquat ossa.
Descendant etiam, quibus est combusta Gomorrha,
Ultrices flammæ, et purgent circum aera tabe.
Lethalem pestem stygii ex uligine cœni,
Et phlegetontei perfusam sulphure fumi
O fugite, este procul, Juvenes; ne pocula vestræ
Insidiosa siti, ne dirum haurite venenum.
Heu! quis temperet a lacrymis? graveolentis Averni
Hac

(c) Rollinus cap. cit. art. 4. vi magna rationis atque auctoritatis nititur deturbare possessione sua consuetudinem vetustate roboratam inanes appellandi Deos, eorum invocandi subsidium, iisque quasi bonorum Auctoribus agendi gratias. Sed Cupidinem hic et Furias induco, quia Poetas obscenos his nominibus passim utentes alloquor: neque illum Cupidinem intelligo, qui Deus amoris filius Erebi et Noctis, neque illas Furias, quæ Deæ Noctis atque Acherontis filiæ finguntur; sed intelligo Dæmones, *quoniam omnes Dii Gentium Dæmonia*, Psal. 95. alio sensu *nec memor ero nominum eorum per labia mea*, Psal. 15. Poetis vero, qui pestiferas voluptates cum satellitibus vitiis insinuant, dira supplicia in persona Dæmonis, cujus æstu jactantur, sub imprecationis figura vaticinor, sequutus Davidis vestigia præsertim Psal. 108.

Hac ego cerno lue Juvenes sine fine perire.
Discite, quæ cecinit vestrum Exemplarque Paterque:
Ipse est dulce mihi decus, ipso sacra canente
Divinæ Matri, primævo reddor honori.
Nunc legite, Angelicæ queis extulit Acta Mericis (*d*),
Flavos illa sibi crines ut pulvere turpat (*e*),
Torquet ut exiles diris cruciatibus artus (*f*),
Ut loca sancta videt terrestris luminis expers (*g*),
Quæ illi dona Deus, quæ nobis afferat illa (*h*).
Ad Solium Romæ thusca illa Epigrammata centum (*i*)
Detuli ego; illa Pater, qui toti præsidet Orbi,
Quam læto vultu manibusque recepit amicis!
Non cessabat Opus laudare, simulque Poetam,
Testis eram: nitor et verborum culta supellex,
Delectus rerum et rebus datus ordo placebat.
Qui tibi tum sensus, Liber, et quæ gloria, sanctis
Dum manibus summus volvit te sæpe Sacerdos!
Te vidi elatum, te fastus et ille decebat:
Namque exornasti tantum inclyta gesta Mericis,
Quantum illustrarunt inhumatum sidera corpus (*k*).

De

(*d*) Omnibus sapientiæ ac liberalitatis ornamentis insignis PETRUS ANTONIUS GEORGIUS Discipulis sui Seminarii donavit aureum suum Opusculum centum hetruscorum Epigrammaton, quibus Acta B. Angelæ Mericis vivis et spirantibus coloribus descripsit.

(*e*) Ut quisque facile intelligat, quæ summis tantum labiis delibo e vita B. Mericis, ea saltem, quæ in Titulis quorundam Epigrammatum Auctor ipse præfatur, afferam oportet. *Le Compagne di Angela dalla bellissima sua Capellatura traendo lieti augurj per lei di felice e presto collocamento, ella con liscia lavandola spessamente e nera fuligine, sconciamente la imbratta e deformala. Sonetto XX.*

(*f*) *Si attribuisce alle straordinarie astinenze e macerazioni della B. che sia ella rimasa assai picciola della persona. Sonetto XXIII.*

(*g*) *Nel pellegrinaggio di Terra Santa perduta repentinamente la vista, comechè cieca vuol essere condotta intorno pei Luoghi Santi, e vede ogni cosa al pari degli altri affatto al naturale nella immaginazione con miracolosa evidenza. Sonetti XXXV. XXXVI. e XXXVII.*

(*h*) *S' induce all' ultimo a fondare la Compagnia delle Orsoline, che Iddio le rivelò per mezzo di sublime Vision misteriosa. Sonetti XXXI. e LIV.*

(*i*) Regnanti Summo Pontifici PIO VI. quum ab eo noster Georgius designatus fuit Cenetensis Episcopus, sua de B. Merice carmina dicavit.

(*k*) *Una Stella di maravigliosa bellezza vedesi per tre successive sere risplendere sopra... mentre vi rimane insepolto il corpo della Beata. Sonetto LXXV.*

De Puero Jesu vobis do insigne Poema (*l*)
Quamprimum, e latio quod Præsul fecit hetruscum,
Et cujus scopus est cælestem accendere flammam
Erga te, divine Puer, te, Virgo Parensque,
Pandere et occultas Satanæ artes mille nocendi.
Quosque Parisinus modulatur Clerus in annum (*m*),
Expectate dein thuscis in versibus Hymnos.
Expectate Hymnos, quorum Santolius auctor,
Magna deductos hetrusca in carmina parte.
Quid memoro, quæ reddidit? En Epigrammata fundit (*n*)
Ipse ducenta, tuas celebrans, Ecclesia, dotes,
Et quæ præcipuis recolis Mysteria Festis.
Dux Operis Christus, fons rerum, et lucis origo.
Nam te, Christe, canit, dum te desiderat Orbis,
Dum te, cuncta replens, in nostros colligis artus,
Atque jaces Stabulo, ah quantum mutatus ab illo!
Dum post octo dies perfundis sanguine cunas,
Dum fulget lux ante alias formosior omnes,
Teque Sacerdotem Reges, Regemque, Deumque
fatentur
Suffultum palea infantem calamoque palustri,
Dum post perlatum immensi genus omne doloris
Exurgis tumulo spoliis indutus opimis,
Dumque inter plausus hilares, sonitusque tubarum
Side-

(*l*) Archiepiscopus noster hetrusca vertit in carmina latinum Thomæ Ceva e Societate Iesu celebre Poema *Puer Jesus* inscriptum, et versio sub prælo est.

(*m*) Hetruscos etiam in versus transtulit Hymnos Parisiensis Breviarii, aliosque plures Santolii Victorini. Nihil seligi dignius translatione poterat, atque illam jamdiu expetebat itala Poesis: iis enim in Hymnis nil reperire est seu in dictione humile aut obscurum, seu in metro asperum aut incompositum; at sic omnia pietatem spirantia, sic ad cantus modulationem accomodata, sic nitide atque eleganter disposita, ut rerum majestati par pene sit stili venustas.

(*n*) Nulla mole curarum fractus aut retardatus nunc manum imponit ultimam ducentis Epigrammatis hetrusci sermonis, in quibus Jesu Christi ejusque Matris mysteria canit, quosdam Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et Virginum honorat, preces præstantissimas exponit, atque ita multos interpretatur Psalmos, ut vestitu orationis mutato, cum iidem sint, alii tamen videantur.

Sideream scandis Superis comitantibus arcem;
Nobiscumque manens proprio nos corpore pascis.
Magnam Opere in tanto partem sanctissima Virgo
Mater habes: quam Petrus ovat tibi carmina pangens!
Te Cælo recinit delapsam Matris in alvum,
Immotoque pede ejus sibila colla prementem,
Qui stygiis immane fremens Draco prodit ab antris;
Nascentem recinit, spes o lætissima terris;
Ac te virginei solium regale pudoris
Divinæque simul decus immortale Parentis;
Te, cum festinans montes contendis in altos,
Visis et Elisabeth, Jesus visitque Joannem;
Te, pignus cum dulce sacris Altaribus offers;
Cum spectas divi crudelia funera Nati,
Atque imo repetita trahis suspiria corde;
Cumque triumphali revehit te Gloria curru;
Et magna excelso Regina incedis Olympo.
Laudibus Heroas etiam præstantibus effert,
Semina qui Verbi totum jecere per Orbem,
Fusi pro Christo quos purpura sanguinis ornat,
Et qui per longos vitam traxere labores,
Et quas cælestis Sponsus sibi junxit amantes.
Plurima prætereo: Petrum quacunque volantem
Prosequar? in sacros Cantus, Psalmosque, precesque,
Velox percurrit campos Pietatis in omnes,
Inque suos confert lectissima et optima versus:
Augustine Pater, quo nil divinius unquam (o)
Terra

(o) Omnibus jam numeris absolvit alia ducenta hetrusca Epigrammata ex illustrioribus Confessionum D. Augustini ducentis sententiis quasi ducentis floribus expressa, flores quidem redolentia, sed transformatos. In his Epigrammatis efferunt sese deliciæ linguæ, cultus facilis et suavis, nullaque affectatione majestas.

Terra libyssa tulit, scripta inter mille relicta (*p*)
Non tibi, nunc etiam, non libris carior alter,
Queis animi et cordis divulgas vulnera prima:
Hinc tua principium tam fulgida gloria duxit.
Hi quondam fecere libri, ut tibi vilior esses (*q*),
Nunc faciunt, Christo sis alta in sede propinquus.
His tibi tam caris selegit PETRUS honorem
Carminis adjicere, et versus affundere lumen.
Si torpens abeat canos hirsuta capillos
Tristis hiems late glacialibus horrida ventis,
Si placidi ludant Zephyri tenuique volatu
Concutiant roseas Cæli per inania pennas,
Et frigus sol condat iners reddatque calorem;
Alma renascentis genitrix felicior anni
Ignavis natura suis educta tenebris
Omnia fœcundo submittit sedula partu.
Laxat terra sinum; redeunt mox gramina campis
Arboribusque comæ, flores ridentibus alis
Surgunt, puniceo surgit rosa picta colore.
Gens studiosa favi perlustrat amœna vireta;
Exploratque vagis omnes venatibus agros:
Floribus insidit variis, et lilia circum
Funditur, et graviter spirantibus obstrepit herbis.
Dulcem pasta thymum, casias, serpylla, crocumque,
Roris fragrantes succos dulcemque medullam,
Pasta leves animas cælestis virginis auræ,
Convehit ad sedes croceum de floribus imbrem;
Ac tandem flavo distendit nectare cellas.

Sic

(*p*) *Quid autem*, ait ipse Augustinus *De Dono Persev.* cap. 20. *meorum opusculorum frequentius et delectabilius innotescere potuit, quam libri Confessionum mearum?*

(*q*) *Hoc in me egerunt*, inquit lib. 2. *Retractationum* cap. 6. *cum scriberentur, et agunt cum leguntur*.

Sic ubi pulsam hiemem Jesus sol dulcis abegit,
Augustine, tuam, atque ignita luce reclusit
Umbris obsessam et glaciali frigore mentem;
Mens fœcunda Deo libros en parturit illos,
Ut totidem halantes hortos et culta vireta,
Ver ubi perpetuum redimitum tempora sertis:
Nam gemmas Charitas et flores explicat omnes,
Culparumque dolor fœcundis irrigat undis.
Florilegæ instar apis Petrus loca florea lustrat,
Libat et omne genus florum, genus omne rosarum;
Omnia delibans et carpens optima solum,
Pluribus in cellis cogit redolentia mella.
Delectu eximio sumpsit loca nempe ducenta,
Inde ducenta effinxit hetrusci Epigrammata versus.
Adfuit ah quoties superis e sedibus ipse
Augustinus ovans. magnamque in carmina mentem
Afflavit, dixitque hoc se præcone beatum!
Eminet hoc Opere ingens ille triumphus Amoris,
Magnifica retulit quem Christi Gratia pompa.
Sic mea cælestis Genitrix, cælestis origo
Carmine, Petre, tuo rutilanti luce coruscat.
O Fili ante alios mihi jucundissimus unus!
Ingenium te suave, regitque benigna voluntas:
Immo tuos bonitas Majores fusa per omnes
Hoc posuit collecta suas in pectore sedes.
Pauperem et obscurum quam comiter excipis, audis,
Affaris! Paris est sermo, non Principis ille.
Cunctis dexter ades, partes te vertis in omnes,
Atque animum nunc huc agilem, nunc dividis illuc,
Excipit et curam nova cura laborque laborem:
Tanta laborandi cura, ardor tantus agendi.
Quid tribuas studiis hac rerum mole fatiscens?

Libros

Libros sic tamen usque legis, genus excolis omne,
Ut possis Studiis censeri totus in ipsis.
Imprimis vero, ut versans tot munera David,
Non potes assidue sacros non condere versus.
O qualis quantusque lepos, quæ carminis illi
Gratia; quo cultu, quo non splendore nitescit!
Nil durum incomptumque vides, geniove coacto,
Nil affectatum, sed lene ac sponte profusum.
Attamen ipse sibi censor quam durus et asper
Emendat, semperque novo se lumine vestit!
Tollit se celerem ingenii felicibus œstris;
Lassatur nunquam tantæ vis vivida mentis:
Illi divus Amor pernices commodat alas.
Ecce ingens Vates, qui miscuit utile dulci;
Semper eum versa, mihi nunc addicta Juventus,
Ejus tam nitidis doctrinam fontibus hauri,
Ebibe divinum pulchræ virtutis amorem.
Longe venantum petulans chorus absit Amorum (r),
Et spurci mala furta Jovis Venerisque nefandæ,
Relliquiæ Veterum infames et dedecus ingens;
Longe absint stolidi, quos Fabula adultera finxit,
Errores: tua sint pura omnia, et omnia sancta.
Sit pro Helicone Sion in Mundi vertice summo,
Sit Regina sacri custos sanctissima Veri
Relligio radiis et toto Numine cincta,
Cui se majestas soliorum et regia sceptra

Sub-

(r). S. Augustinus lib. 1. *Confessionum* cap. 16. In obscenas Poetarum fabulas vehementer invehitur tanquam in flumen spumeum, quod præcipites trahit Juvenes in Oceanum æterni naufragii. *Væ*, inquit, *tibi, flumen moris humani! Quis resistet tibi? Quandiu non siccaberis? Quousque volves Evæ filios in mare magnum et formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint! ... O flumen tartareum! ... saxa tua percutis et sonas, dicens:* hinc verba discuntur, hic acquiritur Eloquentia ... *Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa atque pretiosa, seu vinum erroris, quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus.*

Submittunt, quam infernæ Acies ac Tartara pallent.
Hæc optat, sacri exultent in carmine sensus,
Sicut nuda suo resplendens gemma nitore
Vincta laborato exardescere vellet in auro.
Hæc totum reserans Cælum sedesque beatas,
Cælicolasque omnes tibi monstrans ordine longo,
Hi magni Proceres, inquit, *tua carmina poscunt* (*s*),
Hæc pia te cura; huic te ne furare labori
Jungendi Terram sacra per commercia Cælo.
Hic labor eximius Cælo affixam usque tenebit;
Æmula tum virtus paulatim corda subibit,
Ac te multa docebit Amor, te ad sidera tollet.
Quam longe tibi dissimilis! te adjungere sacris
Cœtibus ardebis, similesque referre triumphos.
Hæc sensere sacri Vates, sensere Prophetæ.
Illi evangelici cecinerunt Fœderis umbras,
Fœderis ejusdem privabis carmine lucem
Spiritus illorum tu quæ succedis ut heres?
Cum Sponsæ Christi sis filia, ei omnia debes:

A te

(*s*.) Præclare noster Georgius Præfatione ad Epigrammata in laudem B. Mericis. *E' già troppo palese il disgusto quasi generale, che dal secol nostro si prova per le Leggende de' Santi, nelle quali riscontra egli più che altrove, con troppa confusione e vergogna di sua oramai estrema mollezza e corruttela, l'odiata censura e condanna: in guisa che a renderle pur tollerabili per molti e molti sembra rendersi necessario, alla debolezza loro condiscendendo, di usare in cosiffatti argomenti eziandio, che d'altronde parrebbono abbisognarne meno o richiedergli, gli ornamenti, sodi però sempremai e gravi, dello stile, e la soavità della narrazione. Al che se le grazie s' aggiungano a tutti generalmente care e piacevoli della poesia, potrà concepirsi lusinga, che le Vite istesse ed azioni degli Eroi veraci del Cristianesimo vengano lette, e in qualche modo ancora gustate ad istruzion loro e giovamento da que' medesimi, che più anno per esse con troppo grave spiritual pregiudizio d' abborrimento e dispregio .... E, a non parlare degli Autori medesimi divinamente inspirati, che non isdegnarono di far uso delle più vive poetiche espressioni e figure nei sacrosanti loro scritti, profetici non solo, ma morali ancora ed istorici ... questo innocente artifizio ed inganno di porgere, dirò così, ai labbri più schivi e ritrosi temperata col mele quasi di poetiche dolcezze la pratica, austera di per sè ed amara alla viziata natura, della morale Evangelica, fu messo in opera fin dai più remoti tempi da' più dotti e venerabili uomini e Padri ancor della Chiesa... La Chiesa istessa a questo modo e pel fine medesimo ha la poesia consacrata, proponendo ad imitare a' fedeli le geste de' suoi Campioni più illustri compendiate maravigliosamente ed espresse con poetiche vaghissime forme in cantici ed inni di varia maniera, che della publica da lei prescritta preghiera una formano delle parti più nobili e belle, e santamente più dilettevoli.*

A te deposcit festos Ecclesia cantus.
Aſsidue scribit pia carmina PETRUS et edit (1),
Ut planum tibi reddat iter, Dux ambulet ante;
Veſtigia aſsidue sectare Ducisque Patrisque.
Feci illi, faciamque tibi non laurea serta,
Sed quæ perpetuum fulgent rutilantibus astris.

GLO-

(1) Suum in elaborandis carminibus hunc fuiſſe finem ipse citata Præfatione teſtatur. *Queſta* (Juventutem) *principalmente ha avuto in mira l' Autore, ed ha inteso di far sì, che gli ſtudioſi Giovinetti, famigliare facendoſi queſto picciolo sacro Canzoniere, teſſuto d' argomenti per lo più vaghi e gentili, e di cert' aria asperſi di novità, e ſcritto, se vana non è la luſinga, con uno ſtile facile, piano, e alla loro capacità accomodato, ſi accendano del deſiderio d' imitare un Modello, qual vien loro in queſti verſi propoſto, di tanta e sì rara innocenza, purezza, e modeſtia, virtù alla età giovanile di tutte più proprie e neceſſarie; e quinci ancora, a nauſea venendo loro ſalutarmente e dispetto le men oneſte lubriche poeſie, per eſercitare lo ſtile, più che altri men utili e ſicuri, prendano guſto a trattare ſacri o morali argomenti, certamente con non minor loro diletto, e ſenza comparazione con più grande e ſodo profitto.*